

D. XX

Crismon. IN nomine patris ac filii simulque ex ambobus procedentis spiritus sancti. Ego humilis et servus servorum omnium domini ultimus, et tamen gratia dei Sancius Rex et Ranemirus Rex una cum clara urraca Regina. Vobis fratribus cironie sancioni abbati simulque fratribus tecum in timore et amore maiestatis superne, vinculo karitatis in unum commorantibus, in domino ihesu xristo: perpetuam felicitatem, amen. Denique inspirante bonitate divina qui cotidie ingratis beneficium prestat: et se blasphemantibus exhibet alimenta. Locum hunc videlicet desertum et abuti ab omnibus nec cultum, qui est situm quem vocitant cironia, que olim fuit sub imperio pessimorum hereticorum habitata, et a catholicis xristianis deserta, et nunc divina prestante clementia: nostris sub imperiis est constituta, in qua construxistis monasterium cuius vocabulum est sancta Maria etusque et sancto Michaelo, archangelo, vel sancto Andree apostolo, seu aliis ceteris sanctis, quorum reliquie ibi sunt recondite: Ob id denique providens a nobis salubre animarum nostrarum consilium, ut suffragiis sancte Marie virginis, et sancti Michaelis archangeli, et sancti Andree apostoli, vel ceteris sanctis, quibus reliquie ibi sunt benedite, in extremi metuentique iudicii die, non cum edis ad sinistram, sed cum electis mereamur collocari ad dexteram, decrevimus pro remedio genitoris nostri Garseani Regis et pro animarum facere textum scripture testamenti de villa que iam vocitant cironia, cum omnibus terminis suis, adiacentibus. Et ideo ob honorem atque gratiarum actionem creatoris nostri ac domini et ad laudem nominis confirmamus atque constabilimus hanc predictam villam cum omnibus supradictis terminis suis quos propriis perambulavimus gressibus, quod omnia providentes salubriter: statatuimus, atque confirmamus, tan post nostrum vestrumque discessum et tempora labent vestris nempe successoribus habituri. Videlicet hac apud dominum habere veniam delictorum mereamur, et summo archangelo intercessor haberi, et amodo et deinceps, omnia que diximus ad partem ville maneant perhenniter confirmata, amen. Deinde venerabilis abbas sancius cum omni collegio monachorum sancti Andree de cironia, et cum concilio tam laicorum quam clericorum ejusdem ville in presentia nostra constitutis, et clementie nostre supplicantibus, ut nos qui tantam donationem eis contulimus, forum per quod possent in pace et quiete vivere inter se statuere dignaremur. In primis: statuimus,

ut concilium de cironia ultra fossaderias quas nobis solebant reddere monasterio sancti Andree non reddant, sed labores pro ipsis persolvant. Videlicet: arare, cavare, secare, et vindemiare, in uno quoque mense duos dies, tertium de vereda, et quartum de rogo, unum in una ebdomada. Alterum in altera. Statuimus autem, ut in illis diebus detur illis ad comedendum dimidium panem tritici, et dimidium comunie, caseum et cepes in mane, et in nocte duo leguminum pulmenta, et tribus vicibus tam ad prandium quam ad cenam: ad bibendum, et ad merendam duabus vicibus. Adhuc statuimus de supradictis diebus laborum, quod non fiant in, IIII.^{or} temporibus, nec in VI.^{ta} feria, et in quarto die supradictorum dierum de laboribus: veniat advocatus qui fuerit in monasterio cum merino suo ad iudicem, et vadant per domos uniuscujusque in nocte, invitantes eos ad rogam in crastinum, et dent eis totum panem tritici in mane ad comedendum, et caseum, et cepes, et vinum satis, et in nocte carnem. Si autem in ipso die rogaverint pro aliqua calumpnia competenti: dimittatur eis. In istis autem diebus laborum, in tali hora vadant et exeant: sicuti in suo proprio labore. Si autem homo fuerit senex vel infirmus, et non habuerit mancipium in domo: non vadat nec conducat alium. Vidua autem que habuerit filium vel mancipium: expleat medietatem laborum. Que autem non habuerit, vadat escardare, et vindemiare. Cum autem preconatum fuerit in nocte, si forte aliquis ibi non fuerit: et in altera die usque ad tertiam horam venerit: vadat in labore cum aliis. Si autem non venerit, sequenti die illum compleat laborem, vel reddat calumpniam, II, solidos et dimidium. In aliis autem non sed laborem. Iterum statuimus de clericis cironie, ut deferant offerendas que veniunt ad beatam Mariam de cironia ad monasterium sancti Andree, et ibi comedant simul cum monachis. De quantitate autem clericorum, in providentia abbatis sancti Andree sit. Preterea statuimus, ut unusquisque presbiter dentur duos decimarios pro vestitu, non de majoribus nec de minoribus. Item statuimus de laicis, ut unusquisque deferat decimas suas ad monasterium sancti Andree. Preterea statuimus, ut in tertia die sancti Michaelis veniat advocatus qui fuerit in monasterio supradicto, vel merinus ipsius ad concilium de cironia, et dent illi iudicem et sayonem qui adquirant negocia que pertinent ad monasterium supradictum. Iudex autem et sayone mane et nocte vadant ad domum merini querere quid oporteat eos facere. Si autem sayone acceperit pignora: non deferat eam in alium locum nisi in domum merini, vel iudicis, et

nihil faciat nisi precepto merini vel iudicis, et tam merinus quam iudex vel sayone nullum pectum reddant. Hoc autem notum sit omnibus, monasterium proprias habet defesas, unam in escultu monasterii. Alteram in vallota. Advocatus autem vel merinus ipsius, si voluerit potest eas testare, a tertia die martii usque in diem sancti iohannis baptiste, In tempore autem glandis similiter defese testentur. Si autem aliquis homo ibi deprehensus fuerit incidendo ligna : pro onere asini reddat, II, solidos et dimidium. Porcus autem vel arietem qui ibi inventus fuerit : occidatur. Advocatus autem debet constituere custodem qui custodiat defesas, et vineas et messes. Similiter vicini habent proprias defesas in quibus advocatus non debet scindere ligna, nec mittere porcos, nisi que necesse fuerint ad reparationem monasterii, et domorum, idest quantum duo ulcini. Item mandamus, ut ortolanus, soterius, molinarius, et caserius non pectent. In vigilia autem sancti andree transmittant vicini, III.^{or} [*al margen*, cargas] de feno ad honorem sancti andree, et dent eis de monasterio panem et vinum. Siquis sane hoc testametum et forum quod damus sanctioni abbati de cironia, ejusque successoribus, et concilio de cironia, in magno vel in modico convellere vel dirumpere voverit, presenti evo ab utrisque luminibus privatus, et in secula seculorum baratri antra demersus, penas eternas sustineat luiturus, et parti regie mille talenta auri persolvat, et hoc scripture nostre tenor : in omnibus obtineat firmitatem et roborem. Facta scripture testamenti diem notum festivitate sancte Andree. ERA M.^a X.^a Anno regni nostri tercio. Regnante domino nostro ihesu xristo in celo et in terra, et principe puerulo Renimiro in Legione et Sancione rex cum urraca Regina in Nagera et in pampilona, et sub ejus imperio Rex Ranemirus in vekaria, seu comite Garsea fredinandus in castella. Sancius serenissimus Rex cum prole Garsea hunc testamentum manu propria confirmans : Ranemirus frater ipsius Regis confirmans. Domna Urraca clara Regina conf. *Subscripciones* : *Primera columna* : Belasco episcopus hic testis. Oriolus episc. h. t. B[e]nedictus episc. h. t. Abbas bibas h. t. Maurellus abbas h. t. Dolquitus abbas h. t. Garseani abbas h. t. Jannti abbas h. t. Munio abbas h. t. *Segunda columna* : fortunio galindoni h. t. Garsea sanz h. t. Sancio garseanis h. t. Fortunio garseanis h. t. Semeno sancionis h. t. Fortum garcez h. t. fortun semenez h. t. Galindo semenez h. t. Lupe sarraciniez h. t. Tellu sarraciniez h. t. Domno Bassali h. t. *Tercera columna* : Domno Begela h. t. Genneco presbiter h. t. Falcon presb. h. t. Furtun presb.

h. t. Garsea presb. h. t. Zuleman presb. h. t. Dato presb. h. t. Zisla presb. h. t. Lope presb. h. t. Fortum presb. h. t. Vincenti presb. h. t. Gomiz presb. h. t. *Debajo de la primera columna y después continuando bajo las otras dos:* Sancius Abbas cum omni collegio monachorum sancti Andree de cironia, scilicet domni Gendulli, et domni Gudumeri, et domni Galindoni, et aliorum sociorum ibidem conversantium. De clericis cironie: domno Bela presb. et suo sobrino domno Benedicto presb. De laicis: Guter sancio, et suos germanos, et Blasco cibrian, et suos germanos, setleprum et suos antenatos, et conceio de cironia clericis et laicis. *A la margen izquierda, signatura, y dentro:* Sancius Rex.

D. XXI

Crismon. IN nomine patris ac filii simulque ex ambobus procedentis spiritus sancti Ego humilis et servus servorum omnium domini ultimus, et tamen gratia dei sancius Rex et Renemirus Rex seu cum clara urraka Regina. Vobis fratribus tecum in timore et amore majestatis superne vinculo karitatis in unum commorantibus, in domino ihesu xristo perpetuam felicitatem amen. Denique inspirante bonitate divina qui cotidie ingratis beneficium prestat, et se blasphemantibus exhibet alimenta. Locum hunc videlicet desertum et ab uti ab omnibus nec cultum qui est situm quem vocitant cironia, que olim fuit sub imperio pessimorum hereticorum habitata, et a catholicis xristianis deserta, et nunc djvina prestante clementia; nostris sub imperijs est constituta, in qua construxistis monasterium cujus vocabulum est sancta Maria virgo et sancto michaelo archangelo, vel sancto Andree apostolo, seu aliis ceteris sanctis quorum reliquie ibi sunt recondite, Ob id denique providens a nobis salubre anjmarum nostrarum consilium ut suffragijs sancte Marie virginis et sancti Michaelis archangeli et sancti andree apostoli vel ceteris sanctis quibus reliquie ibi sunt benedite, in extremi metuendique die; non cum edis ad sinistram, sed cum electis mereamur collocari ad dexteram, decrevimus pro remedio genitoris nostri Garseani Regis et pro animarum nostrarum, facere textum scripture testamenti de villa que jam vocitant cironia, cum omnibus terminis suis adiacentibus. Et ideo ob honorem atque gratiarum actionem creatoris nostri ac domini et ad laudem nominis ejus confirmamus atque constabilimus hanc predictam villam cum omnibus supradictis terminis suis quos propriis perambulavimus gressibus, quod omnia providentes salubriter statuimus atque confirmamus tam